



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Aurerum torquem putans, laqueum à diabolo accipit, diuites, præ
pauperibus, auferente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Est in litteris annuis nostris, An. 1605. Garigaræ, in vice
 prouincia Insularum Philippinarum, fuisse seruum plagipatidam,
 fame & labore consumptum, atq; calamitate ad extrema adactum,
 qui suspendio voluntario statuerit finire ærumnas pariter & vi-
 tam. Utq; compendium mortis haberet, ex proxima arbore fun-
 nem nexum collo iniecit. Erat autem ea ita humilis, vt non esset
 amplius trium cubitorum. Quare, nisi genua flexisset, solum pe-
 dibus attigisset. Et vel sic diuini palpitabat pendens. Quod vbi
 conspexere transeuntium nonnulli, aduolantes laqueum incide-
 runt. Collapsum est humi exanime corpus, & jam ita deforme, vt
 Auernali larvæ, quàm homini similis esset. Nondum tamen pe-
 nitus extinctus erat spiritus, sed laxato guttore cœpit paulatim
 respirare, & ad se redire, præsertim fomentis quibusdam adhibi-
 tis. Die postero, cum iam vires reualuissent, tamen animus adhuc
 peregrinabatur, attonitus enim, & quasi stupens notissimos vix
 agnoscebat. Tandem vbi sensus plenè remigravit, interrogatus,
 cur in eam sese desperationem præcipitasset? respondit auri se
 specie deceptum esse. Venisse enim ad se, quoddam oris fœdissimi
 spectrum, simis naribus, capite obtuso, atq; dixisse: *Accipe, quem
 collo injicias torquem aureum.* Ita pro torque laqueum iniecit sibi,
 & in eo hæsit, quod concupiuit, aurum ratus, quod exitium fuit.
 Multi grauius falluntur, quibus verum aurum mutatur in laqueum,
 quo irretitos cacodæmon trahit ad æternam damnationem. *Na-
 buzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis, cum populum
 Dei expugnasset, vicisset, captiuum abduxisset in Babylonem, præ-
 cipuè diuites abduxit, de pauperibus terra reliquit vinitores, & agri-
 colas.* Ad eundem modum humani generis hostis, pauperibus,
 quos Christus, & sua paupertas defendit, relictis, diuites inuadit,
 vinculis innumeris ligat, captosque trahit ad Babylonium Ache-
 runtem. Nimirum, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem
 & in laqueum diaboli.* Atque vel idcirco dixit Christus. *Va vobis di-
 uitibus.* Quia ergo nemo vult sibi esse vax, necesse est hoc homines
 vel non credere Christo, qui est *veritas*, vel summè amentes esse, si
 adhuc diuitijs inhient, à quibus æternum vax dependet; nisi, velut
 cum prodigio, per laqueos earum, sicut Israëlita olim per mare
 rubrum, educantur.

V.
 In litter. an-
 nuis Soc. Iesu
 Anno 1605.
 Residentiæ
 Garigaræ

4. Reg. 25. 21

1. Tim. 6. 9
 Luc. 6. 24

Com-